



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXIV. Vtrum ad seruanda præcepta supernaturalia de externis
actibus, necessaria sit gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Vnde primo ex dictis colligitur, necessitatem gratiæ ad seruanda hæc præcepta non oriri per accidens ex statu naturæ lapsæ, vel ex repugnantiâ appetituum, sed per se ex natura talis præcepti, & materiæ eius, quia superat vires naturales liberi arbitrii per se, & secundum suam intrinsecam naturam spectati. Et hinc fit, hæc gratiam esse necessariam, non solum ad collectionem præceptorum, sed etiam ad singula. Fit etiam vt non tantum sit necessaria gratia urgente tēatione, vel alia extrinseca difficultate occurrente, sed in quacunque opportunitate, vel dispositione. Denique fit, vt non sit tantum necessaria homini lapsō, sed etiam integro, sicut supra de singulis actibus infusus dictum est.

Quod autem D. Thomas ait art. 4. in statu integræ naturæ potuisse hominem implere mandata quoad substantiam, licet nō quoad modum, intelligendum est de præceptis legis naturalis. Nam de illis præcipue quæstione mouerat, de præceptis n. virtutum Theologicalium, quibus potissime actus interni supernaturalis præcipiuntur, non mouit quæstionem, quia reuera ex dictis in art. 2. definita erat. Ibi enim dixerat, in nullo statu posse hominem efficere sine gratia opus excedens suam naturā, quale est opus virtutis infusæ, hoc autem nō minus procedit, quando illud bonum præceptum est, quam cum non est præceptum, & ideo in artic. 4. solum de præceptis legis naturalis quæstionem mouet. Vnde cum in argumento 3. obieciisset de actu amoris super omnia, qui videtur præcipi lege naturæ, respondet in solutio. ad 3. illum amorem, prout ex charitate impletur, excedere vires naturæ, ac si diceret, sic non pertinere ad naturalem legem, & ideo neque pertinere ad illam quæstionem, neque in illo distingui modum à substantia, quod æque dici potuit de actu fidei, & spei, prout pertinent ad virtutes infusas. Cum vero in art. 8. dicit, potuisse hominem in statu naturæ integræ sine gratia habituali vitare omnia peccata, in eodem sensu intelligendus est. Supponit enim in illo statu nō fuisse habitum hominem alia præcepta, nisi quæ sunt naturæ proportionata. Ex quo recte sequitur, quod tunc posset vitare omnia peccata, quia tunc in illo non essent peccata, nisi contra legem naturæ. Vnde pro ratione subiungit. *Quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo, quod est secundum naturam, quod vitare homo in statu integræ naturæ posset.* Vel certe si fingamus hominem in statu integræ naturæ siue gratia habituali, & nihilominus habentem præcepta supernaturalia de actibus internis supernaturalibus, tunc etiam posset vitare omnia peccata sine gratia habituali, non vero sine gratia auxiliante ad seruanda talia præcepta, vt ex dictis satis patet.

Secundo ex dictis colligitur, quænam gratia necessaria sit ad hunc effectum seruandi præcepta supernaturalia, & vitandi contraria peccata. Dicendum est enim, per se necessariam esse gratiam auxiliantem, quæ det vires operandi actum sic præceptum. Et hæc esse sufficientem, quia dat potestatem ad singulos actus. Vnde fit, vt sine gratia habituali possit peccator implere præceptum fidei, & spei. Imo etiam præceptum dilectionis, & perfectæ contritionis implere potest cum auxilio Dei sine habitu cooperante: quam simpliciter id non faciat sine habitu charitatis, & gratiæ, saltem consequente ordine naturæ in eodem instanti temporis, vt in materia de Iustificacione dicemus.

Atque hinc fit, vt licet semel, aut iterum hæc præcepta impleantur sine habitu gratiæ cooperante, simpliciter autem, & absolute non seruentur in omnibus temporibus, & in actibus suis sine gratia habituali, eiusque influxu, quod potest respectu intelligenti in præceptis fidei, spei, & charitatis quoad habitus, ad quos talia præcepta pertinent, vel simpliciter de tota collectione præceptorum ad charitatem, seu gratiam sanctificantem comparata. Et utroque modo

verum est. Nam licet in prima conuersione ad fidem homo impleat præceptum fidei per solum auxilium gratiæ, statim illi infunditur habitus fidei, quo postea vt possit ad implendum illud præceptum, quoties occasio occurrerit: & idem est cum proportionem de spe. Et similiter in charitate, licet prima conuersio ad Deum perfecta, qua impletur præceptum dilectionis, possit esse ex solo auxilio; nihilominus per illam statim infunditur habitus charitatis. Vterius vero vt homo possit ista omnia præcepta semper, & in omni occasione constanter seruare, necessaria est gratia sanctificans, quia supra diximus hæc gratiam esse necessariam ad seruandam totam legem naturalem: ergo multo magis ad supernaturalem. Tum quia nemo seruat totam legem supernaturalem, præsertim charitatis, quin seruet etiam totam legem naturæ. Tum etiam quia qui seruat omnia præcepta virtutum Theologicalium, sine dubio saluatur, quia diligit Deum super omnia, & simpliciter seruat mandata: nemo autem saluatur sine gratia habituali: ergo neque implet præcepta sine illa gratia: quæ tamen non solum est necessaria ex ordinatione diuina quasi extrinseca, sed etiam ex intrinseca connexion, quam habet cum charitate, vt satis ex dictis constat.

CAPVT XXIV.

Vtrum ad seruanda præcepta supernaturalia de externis actibus necessaria sit gratia?

Distinguiamus quæstionem hæc à præcedente, quia actus externi non sunt supernaturales, sicut interni: hi enim sunt in substantia supernaturales, illi vero in se, & in sua entitate supernaturales non sunt, solumque causaliter, seu moraliter possunt supernaturales dici, quatenus ab actibus internis supernaturalibus procedunt. Sicut enim actus externus in se, ac formaliter non est liber, nec bonus moraliter, nisi per denominationem ab interno, ita actus externus in ratione actus virtutis non est supernaturalis, nisi quatenus interno actui supernaturali coniungitur, & ab illo quasi informatur. Dixi autem in ratione actus virtutis, quia in ratione Sacramenti alium modum supernaturalitatis habere potest externus actus, illam vero non habet à nobis, sed ab institutione diuina; nobis autem non præcipitur, nisi quatenus humanus actus est, & à nostra voluntate pendet, & vt fit etiam habet, quod sit supernaturalis actus per coniunctionem ad aliquem interiorem actum, vt mox explicabimus. Atq; hinc fit, vt in his præceptis de actibus externis optime locum habeat distinctio illa Caietani de obseruatione præcepti quoad substantiam, vel quoad modum, quia in externis actibus modus supernaturalis est extra substantiam actus, vt ex dictis patet, & similiter esse potest extra substantiam præcepti, vt iam explicabimus.

Dico ergo primo. Præcepta supernaturalia de actibus externis interdum possunt quoad substantiam impleri sine auxilio gratiæ, non vero quoad supernaturalem modum, quem habere possunt ab operante. Ratio vtriusque partis facilis est. Prioris quidem, quia supernaturalitas non est extrinseca externo actui præcepto, & interdum non præcipitur per ipsummet præceptum supernaturale: ergo tunc actus quantum ad totum id, quod exterius præcipitur, potest fieri per vires naturæ sine gratia, & tunc implebitur tale præceptum quoad substantiam. Alterius vero partis ratio est, quia non potest homo facere actum vt supernaturalem sine auxilio gratiæ, aliqua vero sunt præcepta de his actibus, quæ dantur de modo supernaturali illorum, ergo. Vis huius rationis ostendetur descendendo ad hos actus in particulari. Tribus enim modis (quantum nunc occurrat)

Ad disticti
nam obser-
uantiam
horum præ-
cepti requiritur
gratia
sanctificans

Peculiaris
difficultas
de his actibus

Caietani
sententia

2.
Affertio r.
Hæc præcepta non quoad substantiam, sed quoad modum tantum gratia indigent. Ostenditur i. pari. Ostenditur 2. pari.

Confirmatio in inductione.

*Tripliciter
dari potest
præceptum
supernat.
de actu ex-
terno.
1. Modus.
Exemplo de-
claratur.*

currit) potest esse supernaturalis præceptum de actu externo. Primo solum ex modo, quo imponitur, utique quia & est à Deo ipso impositum ultra totam legem naturæ, & per reuelationem propositum ut fide credatur, & suscipiatur, quamuis in re præcepta nihil supernaturalitatis inueniatur, neque ex vi talis præcepti exigatur. Exemplum esse potest in præcepto dato Adæ non comedendi de ligno scientiæ boni & mali. Nam si respiciamus totum id, quod exterius præcipiebatur, solum erat omisio cuiusdam corporalis actus, abstinencia scilicet a bescu cibi sensibilis, quæ naturalis voluntate, & arbitrio obseruari facile poterat. Et licet fides infusa talis præcepti, & voluntas seruandi illud ex motu aliquo supernaturali non possent sine gratia haberi: nihilominus præceptum illud præcise spectatum non obligat ad modum illum operandi, sed solum ad exteriorem abstinencia sensibilem, quæ naturalis erat, & seruari poterat ex naturali voluntate vel bona moraliter ex sola ratione temperantiæ naturalis, vel etiam per voluntatem aliquam peccaminosam, ut ex vana gloria, vel timore pure humano. Quocumque autem modo fieret, sufficeret ad faciendum totum id, quod præcepto illo erat mandatum, quod est seruare præceptum quoad substantiam. Nam licet fortasse in modo abstinendi peccaretur, peccatum illud non esset contra tale præceptum, sed contra alias virtutes, ut contra humilitatem, vel similes. Quia, ut dixi, præceptum non obligabat ad hos modos, sed ad solam substantiam actus. Similia exempla sumi facile possunt ex lege veteri, quæ diuina erat positua, & ut sic supernaturalis, præcipiebatur autem multis externis actibus, qui quoad solam substantiam præcepti poterant fieri sine vilo modo supernaturali, ideoque non semper ad talia præcepta implenda erat necessaria gratia, licet sine illa fieri non possent fructuose, seu sicut ad salutem oportebat.

*Alio exem-
plo.*

*Hæc præcep-
ta absolute
sine gratia
seruari pos-
sunt.*

3. Modus.

*Ad hunc
modum ne-
cessaria est
gratia.*

*Exemplum
declarat.*

Secundo modo potest præceptum de exteriori actu esse supernaturale ex parte materiæ, quæ præcipit actum externum, qui ab interno supernaturali intrinsece pendet, tuncque clarum est, non posse tale præceptum impleri sine gratia, vel mediata (ut sic dicam) quia actus, à quo pendet, non potest sine gratia fieri, vel quia actus exterior, & interior censentur vnus moraliter, & ideo gratia requisita ad internum actum imperantem, vel dirigentem, est necessaria ad actum externum. Et hoc recte confirmatur ex Concilio Arausico. 2. can. 11. dicente. *Nemo Domino recte vouerit, nisi ab illo acceperit.* Nam siue sit sermo de emissionem voti, siue de illius obseruatione, licet sit actus externus, non tamen ex directione fidei, & imperio Religionis Christianæ, & ideo si recte, & fructuose fiat, non fit sine gratia. Simile est de oratione, seu petitione, etiam externa, & debito modo facta, ut ex eodem Concilio can. 3. & 6. sumitur. Item hac ratione ad implendum præceptum cōficiendi fidem est gratia necessaria saltem ratione fidei internæ, à qua debet talis confessio procedere. Nam si quis fidei confiteatur fidem, licet exterius appareat implere præceptum, apud Deum non implet. Quod si præceptum urgeat tempore persecutionis, vel tentationis magnæ, tunc erit gratia necessaria non solum propter supernaturalitatem actus, sed etiam alio titulo ob extrinsecam difficultatem. Quæ necessitas potest sæpe inueniri in præceptis et naturalibus de actibus externis, iuxta dicta in lib. præcedenti. Denique inueniri potest hæc necessitas in vera adoratione externa, & in cæteris actibus religionis: in quibus specialem difficultatem habent præcepta Sacramentorum, & ideo pauca de illis addenda sunt.

*4. Modus
præcepti, qui
legem gratiæ
Sacramentis
ineff.*

Tercio igitur modo potest esse præceptum supernaturale de externo actu; quia ipse actus etiam præter præceptum, habet in se aliquam supernaturalitatem, saltem ex institutione diuina, qui modus supernaturalitatis proprius est Sacramentorum nouæ legis, quatenus gratia in se continet, quam significant, & efficere possunt, ut instrumenta diuina. Hæc natura

siue moralis, siue physica sit, modus quidam supernaturalis est, qui in actu supponitur ex institutione, quæ diuersa est à præcepto, & ad illud supponitur, ideo enim talis actus præcipitur quia per institutionem factus est sanctus, & gratiæ operatiuus. De his ergo actibus videri potest, non posse obseruari eorum præcepta sine gratia, quia tales actus supponuntur supernaturalibus ad ipsa præcepta, & per illa præcipiuntur non tantum quoad materiam substantiam, sed etiam quoad modum supernaturalem, quia præcipiuntur ut talia Sacramenta sunt: ergo modus ille supernaturalis cadit sub præceptum, ac proinde pertinet ad substantiam eius iuxta supra dicta: ergo licet actus ipsi quoad materiam substantiam, seu entitatem possint sine gratia fieri, nihilominus præceptum quoad substantiam non potest fieri sine gratia.

Sed nihilominus in his etiam actibus procedit conclusio, de qualitate videri potest Vega. q. 13. de iustific. Nos autem, ut rem totam breuiter comprehendamus, in primis distinguimus in his actibus præcepta ministrandi, vel cōficiendi Sacramenta à præceptis recipiendi. Distinguimus præterea duplicem præcepti modum supra insinuat. Vnum præceptum dicitur potest de exercitio actus absolute, ut est præceptum ministrandi, vel recipiendi Sacramentum: aliud est de modo, seu quasi specificatione actus, ut est præceptum digne ministrandi vel recipiendi Sacramentum, quæ dignitas aliquid supernaturale includit, ut dicemus. Ex quibus primum præceptum affirmatiuum, & absolutum est; alterum vero per negatiuum præceptum interdum explicatur, scilicet, non ministrandi indigne, vel per affirmatiuum hypotheticum, scilicet, si feceris, fac digne. Denique distingui potest de gratia, vel habituali sanctificante, vel solum auxiliante. Item de gratia antecedente tempore, vel natura ad actum, vel de gratia consequente, seu comparata per actum.

De præceptis ergo pertinentibus ad ministerium Sacramentorum dico in primis obligationem absolutam ministrandi, seu efficiendi Sacramentum posse impleri sine gratia habituali; imo & sine fide. Probatur quia Sacramenta à prauis ministris data, vel facta, ratione valida sunt, ut est dogma fidei, de quo latius egimus in 3. p. tom. 3. disp. 13. sect. 4. quod etiam Sacramentum validum est, impletur sufficienter obligatio absoluta ministrandi Sacramentum: quia fit, quod præcipitur. Deinde possunt talia præcepta impleri sine auxilio, quod ad ordinem gratiæ gratum facientis pertineat, quamuis sæpe non fiat sine auxilio spectante ad ordinem gratiæ gratis datæ. Hoc intendit Caietanus in 1. 2. qu. 109. art. 4. dicens, ad implenda de Sacramentis quando conferendis præcepta, non requiri gratiam pertinentem ad operationem virtutis, sed pertinentem ad operationem alienius superioris facultatis, quæ non facit hominem bonum, sed facit potentem. In qua distinctione non intendit Caietanus negare, actum ministrandi Sacramenta esse actum virtutis ex suo genere, cum per se satis notum sit esse actum religionis, & possit etiam esse professio quadam fidei, & officii charitatis. Sed mens eius fuit ex vi præcepti ministrandi Sacramentum præcisè, & absolute spectati, non præcipi actum virtutis, ut talis est, sed actum potestatis supernaturalis. Quod verissimum est, quia Sacramentum ut Sacramentum non potest fieri sine potestate supernaturali, potest autem fieri sine actu honesto, & virtutis, quia licet ministratio Sacramenti de se sit materia religionis, potest à ministrante fieri irreligious, & sacrilega, & nihilominus valide, ut est certissimum. Hinc ergo dicimus, præceptum iubens illud ministerium posse impleri sine auxilio sanctificantis gratiæ, quia potest impleri per actum prauum, qui ex tali auxilio fieri non potest, ut per se patet. Addimus vero requiri auxilium potestatis supernaturali debitum; quia sine proportionato concursu, vel auxilio nulla potentia operatur. Et hoc auxilium dicimus pertinere ad ordinem gratiæ gratis datæ, respectu mini-

ministrantis, quia non ordinatur ad sanctificationem eius, cui datur, sed ad bonum commune.

7. Aduertimus autem hoc auxilium maxime requiri
ad efficiendum supernaturalem aliquem effectum
gratiae per Sacramentum: nam ad solam sensibilem
effectiōnem Sacramenti neque hoc auxilium neces-
sarium est, vt patet in contrahentibus matrimonio
peccando mortaliter, & similibus. Eratio est, quia
Sacramentum etiam vt Sacramentum non fit per a-
ctionem physicam supernaturalem, sed per solam sensi-
bilem, supposita institutione. Et quamuis verum sit,
ad implendum tale praeceptum necessarium esse in-
staurum per faciendi Sacramentum, ostendit illud per

tentio, et facienda Sacramenta, quæ illa non habet,
 & consequenter sine illa non impletur præceptū: hoc
 non obstat, quia illa intentio haberi potest interdum
 sine speciali auxilio gratiæ, cum possit haberi sine fi-
 de, vt patet in infidelibus baptizante valide infan-tem, &
 in Sacerdote hæretico rite cōsecrante. Ratio vero est,
 quia ille actus nō semper est supernaturalis, quia po-
 test suscitare intentio faciendi, quod Christus fecit,
 vel q̃ Christiani faciunt, vel quid simile, vt statim ite-
 rum dicemus. Item licet quædam Sacramenta neces-
 sario possulent in ministro characterem ordinis, qui
 potest inter dona gratiæ computari, non tamen per-
 tinent proprie ad gratiam virtutis, & sanctificantem,
 sed ad potestatem quandam supernaturalem, vt dix-
 it Caiet. & reducitur ad ordinem gratiæ gratis da-
 tæ, vt nos diximus. Præter characterem autem, qui
 est quasi habituale donum, seu potentia ad effectum
 Sacramenti, non requiritur peculiare auxilium
 gratiæ, quia circa Sacramentum ipsum non operatur
 character per modum potentis physici, sed moralis
 tantum, & sine speciali actione supernaturali, vt dixi.

8. *Proletur 2. quod effi- cti super- natu-ales in quo hoc auxilium consistat.* At vero ad efficiendam gratiam, quæ est effectus Sacramenti, vel ad consecrationem Eucharistiæ, vel imprimendum characterem, necessarium est specia- le auxilium supernaturale, quia illi effectus sancti per- naturales, & per actiones eiusdem ordinis sunt. Hoc autem auxilium nihil aliud est, quam eleuatio ipsiusmet Sacramenti, seu verborum, & actionum ministri ad efficiendos illos effectus, quia non aliter concurrit minister ad efficiendos illos, vt nunc sup- pono. Ideoque siue minister in ipsa effectione Sacra- menti bene moraliter operetur, siue male; Deus vit- tur eius materiali actione ad benefaciendum alteri. Et hac ratione diximus, eleuationem illam, seu auxi- lium non pertinere ad gratiam sanctificantem respectu ministrantis, sed reduci ad ordinem gratiæ gratis da- tæ; neque enim datur ad implendum præceptum, sed vt promissio Dei impleatur.

9. Addendum denique est, ad implendum præceptum ministrandi digne Sacramentum, necessarium esse gratiam in eo saltem, qui Sacramentum ex officio ministrat. Ratio breuiter est, quia vt Sacramentum digne ministretur, debet sancte ministrari, & ideo necessaria est gratia saltem habitualis in eo, qui Sacramentum ministrat. Vnde si præcedat conscientia peccati mortalis, necessaria erit actualis gratia, quæ se ad digne ministrandum disponat. Sed hæc in tertio loco tertie partis latius tractata sunt.

Declaratur tãdem assertio breui inductione. Nam
in Baptismo facile potest adultus implere praeceptũ
illud Sacramentum recipiendo scienter in peccato,
si vere velit baptizari, & rite baptizetur, nam id satis
est, vt Sacramentum sit validum, & consequenter, vt in Baptismo
Baptismi praeceptum impleatur: cuius signum etiam
est, quia non tenetur quis amplius praeceptum illud
implere. Tunc ergo impletur praeceptum sine gratia,
quia nec habitualis adest, cur per peccatum impedi-
diatur, nec actualis est semper necessaria propter so-
lum Baptismum, quia & potest praecedere sola hu-
mana, & acquisita fides, & voluntas, seu intentio Ba-
ptismi interdum potest esse naturalis: imo & pro-
pter humanum finem haberi, & nihilominus sufficere
ad Baptismum, & praeceptum implendum. Neque
obstat, quod Arausicanum Concilium canon. s. dicit,
neminem posse venire ad Baptismũ sine gratia: nam
loquitur de illo, qui venit digne, vt saltem ex vera fi-
de, quae sine gratia haberi non potest. Hoc enim si
principaliter Concilium agebat. Atque hæc doctrina
locum habet in aliorum Sacramentorum receptione
extra penitentiam.

Adrianus vero in 4. q. 5. dub. 4. negat hanc assertio-
nem, quia putat non posse impleri præceptum per a-
ctum malum. Sed hoc fundamentum incredibile est,
quia licet peccando non possit quis implere omnia
præcepta, quia si peccat, aliquid præceptum violat;
nihilominus potest vnum præceptum implere, licet
aliud transgrediatur, ut dixi lib. 2. de Legib. cap. 10. &
de præceptis Sacramentorum specialiter dixi in suis
materiis. Et docet etiam contra Adrianum Soto in 4.
dist. 18. quæst. 3. ad 2. Dicit tamen ibi, qui sciens recipit
Sacramentum Eucharistiæ indignè, non implere
præceptum. Medina vero 1. 2. quæst. 109. artic. 4. dub.
3. conclus. 3. dicit, illum implere præceptum Ecclesiæ,
non vero diuinum. Mihi autem videtur vtrumque
impleri; quatenus datur de receptione Sacramenti:
sic enim loquimur. Nam sicut de actiua collatione
Sacramenti, ita in receptione duo præcepta distin-
guenda sunt, vnum præcise, recipiendi Sacramentum,
aliud digne sumendi, & consequenter præmittendi
necessariam dispositionem ad dignam receptionem:
ut in Eucharistiâ est præmittere confessionem, si
conscientia mortalis peccati præcedat. Hæc ergo duo
præcepta distincta sunt, & potest vnum sine alio im-
pleri. Sic ergo qui indignè communicat sciens implet
posterius præceptum, implet tamen prius, quia verè
recipit Sacramentum moraliter, & humano modo;
& hoc tantum præcipitur ex vi illius præcepti. Ex
quo ad Ecclesiasticum præceptum patet, quia nec te-
netur amplius eo anno communicare, nec incurrit
censuram non communicantibus impositam. De di-
uino autem patet, quia si quis in articulo mortis via-
tium indignè recipit, non tenetur iterum ante mor-
tem recipere, sed penitentiam agere, & confiteri pec-
catum indignè sumptionis, & tunc fortasse recipit ef-
fectum Eucharistiæ recedente fictione de quo aliàs.

Ultimo ergo dicendum est ad implendum præceptum 136

3. *Conclusio*
Ad recipien-
dum digne
Sacramen-
tum necessa-
ria est gratia
Hæc gratia
non eodem
modo in
omnibus
adatur.

Durand.
reijciunt.

14.
Habitualis
gratia per se
petitur ad
Sacramenta
Quorum di-
gna recipien-
da.
Non tamen
requiritur
gratia ac-
tualis.

ptum digne recipiendi Sacramentum necessariam esse gratiam. Hoc certum est, quia sine gratia non recipitur digne Sacramentum. Hæc autem gratia non eadem, neque eodem modo in omnibus necessaria est. In Baptismo enim, & penitentia necessaria est gratia auxiliaria, qua homo se digne disponat ad recipiendum Sacramentum. Gratia vero habitualis non prærequiritur, quia non tenetur quis accedere contritus ad illa Sacramenta. Quia vero tenetur accedere sufficienter dispositus, ideo non impletur tale præceptum sine habituali gratia, saltem consequente ordine naturæ receptionem Sacramenti. Nam licet possit cōtingere aliquem propter inuincibilem ignorantiam recipere verum Sacramentum, & non effectum eius, tunc quamuis à peccato excusetur, & à transgressionem præcepti, retamen non impletur tale præceptum, sed tantum in conscientia erronea: quod si illa vocetur observatio præcepti, fatemur illo modo posse feruari sine habituali gratia. Durand. autem in 2. d. 28. q. 3. n. 12. & q. 4. nu. 6. existimauit interueniente ignorantia inuincibili, semper hominem iustificari per Sacramentum, & ideo non dari statum medium, in quo homo excusetur à transgressionem præcepti, & gratiam non recipiat per Sacramentum. Sed hoc necessarium non est, quia potest consistere illa ignorantia cum defectu dispositionis sufficientis ad effectum Sacramenti, ut proprio loco latius dictum est.

At vero in alijs Sacramentis, quæ dicuntur viuorum, per se requiritur gratia habitualis antecedens receptionem Sacramenti, ut digne recipiatur Sacramentum, quod nunc suppono, & ideo per se non impletur tale præceptum sine tali gratia. Dico autem per se, quia per ignorantiam potest quis excusari, sicut de alijs dixi. Præter gratiam vero habituales, non videtur gratia actualis semper, & in omni casu necessaria, quia actualis dispositio supernaturalis non est per se necessaria ad dignam susceptionem Sacramenti, nam satis est accedere sine obice, quomodo accedit, qui est in statu gratiæ, etiam si ex quadam consuetudine, sine supernaturali consideratione, sola naturali voluntate, & (ut ita dicam) materiali ad recipiendum Sacramentum accedat. Hic tamen modus imperfectissimus est, ordinari enim non acceditur ad Sacramentum sine actu fidei, & aliqua supernaturali dispositione voluntatis, & ad hoc est necessaria actualis gratia. Si vero contingat hominem ante susceptionem Sacramenti habere conscientiam peccati mortalis, tunc tenetur se disponere ad gratiam, & ideo indiget omnino auxilio gratiæ, quo se disponat, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 6. & 14. ergo eodem auxilio gratiæ indiget, ut præceptum digne recipiendi Sacramentum impleat, nisi forte per ignorantiam excusetur: & tunc vel non implet præceptum, vel tantum secundum quid in ordine ad conscientiam propriam, ut iam decarauimus.

CAPVT XXV.

Utrum hominibus etiam iustis sit necessaria noua gratia ad exequenda media necessaria, vel utilia ad æternam salutem consequendam?

1.
Quæstionis
ratio.

Hanc quæstionem sub hoc titulo propono, ut multas complectar, quas de necessitate gratiæ D. Thomas in initio huius materiæ tractauit. 2. quæst. 119. per plures articulos: illas enim neque in hoc loco omnino prætermittere possumus: neque etiam omnes possunt exacte, & pro dignitate nunc discuti, & tractari, quia methodus, & ratio doctrinæ multum inuenteretur, & ideo ut notitia earum in summa habeatur, hic eas explicabimus, integram disputationem in sequentes libros remittendo, ita ut repetitio caueatur. Sit ergo in primis generalis assertio. Ad exequenda omnia, & singula media necessaria ad salu-

Assertio ge-
neralis.

tem, ut talia sunt, aliquod gratiæ auxilium est necessarium. Hæc assertio absolute sumpta certissima est, sequitur enim ex illo principio superiori libro satis demonstrato, quod liberum arbitrium nihil potest per se, & sine auxilio facere, quod ad salutem æternam consequendam conferat, iuxta verbum Christi Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ut autem in particulari confirmetur, & qualis sit hæc gratia explicetur, aduerto, inter media, quæ ad salutem conferunt, quædam esse ad remouendum peccatum, alia ad perficiendum bonum. Et inter priora, quædam sunt contra peccata prius commissa, ut tollantur, alia contra futura, ut non committantur.

Ad media igitur remissionem peccatorum impetrantia pertinet potissimum illa quæstio, quam Doctor sanctus in art. 7. illius quæstionis tractat, an possit homo resurgere à peccato sine gratia. Idem enim est à peccato resurgere, quod veniam eius obtinere, quam D. Thomas proprie tractat de peccato mortali, nam per illud solum anima moritur spiritualiter, & ideo ab illo solo dicitur proprie resurgere. Resolutio ergo catholica in duabus assertionibus consistit. Prima est. Ad remissionem peccati obtinendam necessarium esse gratiæ auxilium. Quæ assertio solum in adultis locum habet, nam pauli non sunt capaces auxiliorum gratiæ. Et ita definitur in Trident. sess. 6. & 14. fere per totam. Ratio vero est, quia adultus non consequitur remissionem peccati sine propria dispositione: non potest autem disponi, nisi per auxilium gratiæ, ut ex eodem Concilio, & ex omnibus, quæ de necessitate gratiæ ad actus supernaturales, & pietatis dicta sunt, satis patet. Atque hæc assertio tam Pelagianos, quam Lutheranos refellit, illos, quia dicebāt, posse hominem suis viribus se ad remissionem peccatorum disponere, imo & illam mereri: hos quia negat debere hominē, imo etiam posse se ad remissionem peccatorum obtinendam etiam cum gratia Dei disponere. Contra utroque vero ex professo infra disputandum est, tractando de iustificatione, & causis iustitiæ.

Altera assertio est, ipsam remissionem peccatorum esse gratiam Dei, & per veram gratiam Dei, & iustitiam in nobis infusam fieri. Vtræque pars de fide est, sumiturque ex Paulo ad Roman. 5. & definitur in Trident. sess. 5. capit. 5. & sess. 6. & 14. & infra libr. 7. qui erit de formali effectu inhaerentis iustitiæ, & de formali causa remissionis peccatorum, ex professo pro banda est. Priorque pars est contra Pelagianos, quia licet gratiam remissionis peccatorum voce non negarent, retamen vera destruebant in illa rationem gratiæ, dum ex meritis solius liberi arbitrij conferri dicebant, ut Prolegom. 5. latius retuli ex Augustino epist. 95. & 105. & damnatur in Trident. sess. 5. can. 3. & sess. 6. capit. 1. & in alijs antiquioribus sæpe allegatis. Posterior vero pars est contra Lutheranos, qui dicunt per gratiam non dari nobis veram remissionem peccatorum. Quia cum negent remissionem peccatorum fieri per gratiam nobis inhaerentem, consequenter addunt, non fieri in nobis per gratiam, destructionem, & ablationem peccati, sed per solam non imputationem, contra quos nunc sufficit sententia Pauli ad Ephes. 1. In quo habemus remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, & cap. 4. Renouamini, &c. in iustitia & sanctitate veritatis. Et cap. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ, &c. Et ita illum errorem ex professo damnat Concilium Trident. sess. 6, ut latius in dicto libro videbimus.

Possent denique ista quæstio, & resolutio ad remissionem peccatorum venialium extendi. Sed de hoc puncto in præsentem nihil amplius dicam, quia illud ex professo tractauimus tom. 1. 3. partis disp. 4. scilicet. 11. & tom. 4. disp. 11. per totam. Veritas ergo est, peccatum veniale non remitti sine aliqua gratia. Nam vel est in homine peccatore, vel in iusto. In priori statu est cōmune, & prius, & tunc

Varia medi-
orum genera
ad salutem.

1. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatur
ratione.

Refutatur
hæc ratio.

2. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatur
ratione.

Refutatur
hæc ratio.

3. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatur
ratione.

Refutatur
hæc ratio.

4. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatur
ratione.

Refutatur
hæc ratio.